

OBSERVATIONES

CENSORIÆ

IN LIBELLUM

CUI TITULUS EST:

*Juris naturalis & gentium. Doctrina
Metaphysicæ asserta,*

A FRATRE NICOLAO CONCINA

ORDINIS PRÆDICATORUM

Metaphysicæ Professore

NOVISSIME PUBLICATUM.

OBSERVATIO PRIMA

In Libellum Metaphysici Patavini.



Ab ipso libelli titulo palam ostendit Auctor ille nescire se, quid proprie sit *Jus naturale*, & *Gentium*, quod Metaphysicæ asserere & vindicare aggreditur. Non est enim, ut ipse putat, doctrina aliqua, seu disciplina explicanda atque tradenda; non est habitus aliquis scientificus, qui aut doceatur atque tractetur, aut addiscatur in Scholis, ut est E. G. *Jus Canonicum* & *Civile*: sed ipsum est naturale lumen ingenii, seu intimus intelligentis naturæ sensus, atque instinctus, ab Auctore naturæ impressus, homini dictans quid hic & nunc sit amplectendum, aut fugiendum, quid agendum, aut omittendum.

Ita plane *Jus naturale* definit, seu describit Doctor Angelicus, 1. 2. quest. 91. art. 2. in Corp. *Lex naturalis dicitur participatio legis æternæ in rationali creatura. . . . lumen rationis naturalis, quod discernitur quid sit bonum & quid malum; quod pertinet ad naturalem legem: nihil aliud est quam impressio divini luminis in nobis. Unde patet quod lex naturalis nihil aliud est, quam participatio legis æternæ in rationali creatura.* Ita etiam Cicero lib. 1. de legibus: *Naturalis lex est ratio summa insita in natura, quæ jubet ea quæ faciendæ sunt, prohibetque contraria. Eadem ratio est in hominis mente confirmata & confecta, lex est. . . . lex naturalis est ratio summa insita in natura, quæ jubet ea quæ faciendæ sunt, prohibetque contraria.* His adde quod habet idem Cicero pro Milone: *Non scripta sed*

nata lex est, quam non didicimus accepimus legimus; verum ex natura ipsa arripimus hausimus expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.

Eam ob causam *Jus naturale Jus gentium* vocatur: quia gentes omnes, quibus non est omnino extinctum, aut forte corruptum nativum illud ingenii lumen, eo jure seu instinctu sponte sua ducuntur, communique confessione: ut habet Cicero lib. 1. Tusculanarum Quæstionum: *In omni re consensus omnium gentium lex naturalis putanda est. . . . Omnium consensus natura vox est.*

Non est itaque, ut somniat Metaphysicus Patavinus, *Jus naturale & gentium* doctrina aliqua, quæ & tradatur, & doceatur & addiscatur in Scholis. Quod & inde luculentius patet, quod cum in publicis Academicis infinitis in Jure Civili atque Canonico Doctores inaugurari videamus, neminem tamen in Jure naturali doctorem viderimus renunciatum; nec videbit, ut puto, fera poteritis.

Hinc videas, quantum a principio exorbitet Scriptor iste, qui nequidem rectam habet Juris naturalis ideam, de quo disputare aggreditur: quodque se discipulis suis pollicetur traditurum in Scholis suis.

I I.

Audaciam suam plus nimio prodit libelli auctor pag. 8. dum ait: *Sententia quam hic defendendam suscepi, (doctrinam scilicet Juris naturalis, & gentium ad Metaphysicam pertinere) longissime a communi intelligentia sensuque disjuncta est; & nunquam fuit doctorum hominum disputationibus*

agi-

OBSERVATIONES

agitata. . . . Quæ vero mihi adversatur opinio, non tam est ratione ac studio parva, quam ducta ab incivitate vel incogitantia Veterum Metaphysicorum; qui in suis dumetis inclusi, iidemque mirifice delectati, patentes amansque campos, in quibus possent exultare ingenia & disputationes, vel cernere nequiverunt, vel in eos noluerunt exire. . . .

In proprium Metaphysicæ locum venio, (Tractationem scilicet doctrinæ Juris naturalis, & gentium) superioribus hujus scientiæ Magistris sive ignoratum, sive neglectum. Sic ille ollas suas ostentat, seque supra veteres omnes Metaphysicæ Magistros superbius effert: atque adeo supra ipsam quoque Doctorem Angelicum, qui in eo quoque superiorum hujus scientiæ Magistrorum numero censetur. Cum & ipse duodecim Aristotelicæ Metaphysicæ Libros amplissimis commentariis illustravit, uti Magister & doctor. Heu miserum (si qua veterum Metaphysicæ Magistrorum contemptori fides est) Doctorem Angelicum, asperis suis dumetis inclusum, iidemque per incuriam & incogitantiam plus nimio delectatum!

I I I.

Religionis pietatis specimen haud satis egregium edere videtur Auctor iste, dum sententiæ quam probandum aggreditur, præcutores duces magistrisque suos in medium profert, summisque laudibus effert, sine fide ac religione viros, protestantes heterodoxos; Leibnitium scilicet, Wolfium, Balium, Boelerum, Grotium, Clericum, Barbeiracium, Pufendorfium, Wollastonum: quibus ille ducibus atque magistris mirifice delectatur; peregrinam in iis citandis & excribendis, eruditionem affectans, quam nemo illi religiosus videat, sed ultro potius citroque concedat.

I V.

Incite tamen & ignoranter in sententiæ suæ probationem ingreditur vanus ille peregrinæ eruditionis ostentator, corralis misereque detortis suorum illorum Magistrorum ac duum assertionibus atque sententiis; ex quibus, si rem rotam accurate perpendimus, nihil ad institutum suum extendere potest, ii quippe scripsere duntaxat, Metaphysicam *ontologiam*. . . . *ontosophiam* esse, hoc est, de re quacumque sermone atque Sapientiam. . . . *Noologiam*. . . . *Psychologiam* esse, hoc est sermone de mente & anima. . . . *Pneumatologiam* esse, hoc est, sermone de spiritu, seu de rebus spiritualibus & abstractis. . . . *Thelematologiam* esse, hoc est sermone de voluntate. Ex his tamen heterodoxorum illorum locutionibus confessionem non est, Metaphysicam sinu suo, tanquam sui partes, completi tractatus integros de voluntate, de spiritu, rebusque spiritualibus & abstractis: de anima, de mente, imo & de re quacumque naturali; uti sibi blanditur & facit auctor imprudens: Sed consequens duntaxat est, posse Metaphysicum de omnibus illis agere, sub communi ratione entis tantum, & in quantum entia sunt; posseque Metaphysicum aliarum scientiarum principia ventilare atque discutere, & ad primum Metaphysicæ suæ principium revocare: uti monet Doctor Angelicus lib. 4. Metaph. lect. 1. & 5. lib. 6. lect. 1. lib. 8. lect. 1. lib. 11. lect. 7. Alias eodem illo prætextu, (quod Metaphysicæ *ontologia*, & *ontosophia* sit) postterpariter Metaphysicæ scientias omnes naturales, A-

Serry Tom. VI.

strologiam, Medicinam, Physicam, Ethicam, Geometriam, Mathematicam, & quotquot sunt alia, de integro pertractare, & quotquot sunt alia, de integro pertractare, easque omnes uni Metaphysicæ, tanquam partes illius, ut Schola loquitur, *Subjektivæ*, asserere tribuere vindicare. Quod est absurdissimum, & a D. Thomæ mente alienissimum.

V.

Quamquam quid verbis est opus, ut Auctorem illum perperam, & ignoranter argumentatum ostendamus, ex illis suorum Magistrorum elocutionibus? Satis erit quod ille ex suis antesignanis ac ducibus Leibnitio Wolfio Belio recitat pag. 3. æqua trutina penitare. Leibnitius (sic scribit ille pag. 3.) *Vir summus Metaphysicæ principem scientiam appellat; in qua, inquit, sapientissimus Wolfius, recludimus omnes cognitionis humane fontes; & quæ, judice Belio, generales entium differentias persequitur, quæ attributa essentialia a cæteris adjunctis verum discernere docet; quæ ideas seu principia æternæ veritatis suppeditat, quibus omnes veritates aliarum scientiarum probentur, & ad quæ tanquam ad regulam expendantur omnium disciplinarum principia peculiaria.* Non itaque ad Metaphysicam spectat aliarum disciplinarum assertiones, & conclusiones persequari expendere pertractare minutatim, & individue; sed generales duntaxat earum ideas discernere, entiumque, de quibus illæ ex officio disputant, generales differentias summam, ut ita dicam, & in transcurso eventitare.

V I.

Præsentiam suam atque jaçantiam prodit apertius noster hic auctor pag. 43. dum in hæc verba prorumpit: *Fremant omnes licet adversarii mei, dicam ego quod sentio: nulle mebercule extant scientiæ practicæ, sed omnes, ne una quidem excepta, sunt theoreticæ.* Quo certe nihil ructare potuit Philosophus omnibus atque Theologis, ac ipsi maxime Divo Thomæ magis adversum. Elenchum enim & indicem librorum Sanctissimæ Præceptoris texere necesse fuerit, si quis velic contextus omnes adnotare, in quibus eam scientiarum distinctionem in *speculativas seu theoreticas*, & *practicæ* verbis conceptissimis ponit tuetur & probat. Consultat quisquis experimentum capere velit Tabulam Auream Petri de Bergamo, ad verbum scientiæ, a numero 122. ad numerum 134. ubi contextus Divi Thomæ amplius sexaginta notatos inveniet, eam scientiarum distinctionem præferentes: quam vanissimus scriptor falsa opinione delusus impugnare aggreditur: Non satis intelligens, quo sensu scientiæ nonnullæ practicæ dicantur, & sint. Quasi vero, & agere, & operari ipsamet scientiæ debeant, ut practicæ dici possint? Ac non potius abunde sit, quod & actionem, & operationem externam dirigant, & sub certis regulis contineant? Sic sane moralis disciplina, quam practicam esse nemo, nisi desipiat omnino, negaverit, actus moraliter bonos non exerit quidem, non operatur, non agit; sed ad normam rationis humanos dirigit actus, eamque humanorum actuum directionem uti finem suum agnoscit. Quo titulo scientia practicæ ab omnibus nuncupatur.

H h

VII.

VII.

In absurdum parentissimum labitur noster hic Auctor pag. 21. & sequentibus, ubi precipuum institutum suum, quod corrasu misere Magistrorum suorum lasciniis probare huc usque tentaverat, rationibus tandem conficere aggreditur, ex ipis ut ait visceribus cause petitis. Sic enim ille summam argumentatur in hunc ferme modum. Metaphysica, ex Aristotele doctique omnibus, sapientia est: Atque sapientia est rerum divinatum & humanarum scientia: igitur Metaphysica rerum omnium divinatum, & humanarum scientia est.

Quis quæso fatalem, quæ ex tota illa argumentatione necessario fluit, consecutionem non videt, nullam scilicet esse præter Metaphysicam scientiam naturalem? quod certe commentum est cachinnis omnibus dignum. Sic itaque, uti vult ille, Metaphysica Sapientia, non abnuimus: non ideo tamen rerum omnium naturalium, divinatum, & humanarum scientia est: id enim Sapientia definitio non sonat: Sed est ut ut maxime, scientia seu cognitio certa & evidens rerum per altissimas causas: quæ vera propriaque est sapientia definitio, ab omnibus communiter tradita. Quidquid ergo Metaphysica tractat, quidquid speculatur, per altissimas quidem causas cognoscit, speculatur, & tractat: non tamen omnia naturalia, divina, & humana universe contempletur; multo minus uti subjectam sibi materiam complectatur suam: quod hule auctori probandam incumbit, probandumque suscepit.

VIII.

His paucis observationibus satis superque convulsa est malenata scriptiuncula, qua probare aggressus est Metaphysicus Patavinus, Doctrinam Juris naturalis, & gentium ad Metaphysicam pertinere. Cætera quippe quæcumque ad finem utique deblaterat, arguitur, atque recantat, ab instituto sunt penitus aliena, ac ne scopum quidem susceptæ ab eo disputationis attingunt: verba vocæque sunt, prætereaque nihil. Quamquam enim id ultro concederemus, quod ad finem usque libelli probare nititur præservidus Auctor, ad Metaphysicæ considerationem pertinere quæcumque de Deo illiusque attributis, quæcumque de homine deque hominum moribus, quæcumque de Creaturis, seu spiritualibus, seu corporeis fieri possunt, aut etiam debent, id ea tamen circumscriptione deberet accipi, ut de his generaliter tantum, summarie, & universalissimis principiis disputare Metaphysicus posset, obiter & in transeu: non quasi, uti temere jactat ille, patentes illos, amovosque disputationis campos possideat Metaphysicus jure suo, in quibus libere possit excurrere; eorum individuum tractationem sibi ipsi ambitiosius arrogando. Sed in suis ipse divinis inclusis, præscriptis a Doctore Angelico fines ac terminos, (de quibus supra num. 4. dictum est) prætergredi non deberet: sed se se intra pelliculam suam modestè ac moderate continere, corroborata testatur.

DE

MONACHATU
BENEDICTINO
D. THOMÆ AQINATIS
APUD CASINENSES,
Antequam ad Dominicanum Prædicatorum
Ordinem se transferret,
HISTORICA DISQUISITIO.

